



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorvm, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

Errores Anabaptistarvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

Vnde omnes sinceri doctores & Confessores Euangelij fuere repulsi aut electi. Vbi enim crassissimæ & plus quam Cimmeriae, ut dici solet, Papatus tenebræ regnabant, ibi miseri homines, qui Pontificiam manifestissimam Idololatriam & falsam doctrinam tantum non manibus palpant, ex mera simplicitate amplexi sunt, quicquid à Papatu discrepabat, & sub Euangelij nomine ipsis obtrudebatur. Quorum malorum Pontificalis tyrannis, quæ sinceram doctrinam persecuitur, vel præcipua causa est.

ERRORES ANABAPTISTARVM.

REJICIMUS & DAMNAMUS falsa Anabaptistarum dogmata, quæ neq; in Ecclesia Dei, neq; in Politia, neq; in Oeconomia tolerari possunt.

I. **Q**uod iustitia nostra coram Deo, non tantum in sola obedientia & ynico merito Christi, verum etiam in nostra renovatione & propria iustitia (in qua coram Deo ambulemus) consistat. Et eam probitatem seu iustitiam Anabaptistæ ut plurimum in peculiaribus observationibus & sua quadam electitia sanctimonia, quasi in quodam novo Monachatu, collocant.

II. **Q**uod infantes non baptizati coram Deo non sint peccatores, sed iusti, & proorsus innocentes, & quod in sua illa, innocentia sine Baptismo (quo non indigeant) saluentur. Et hac ratione negant atq; reiciunt Anabaptistæ totam de originali peccato doctrinam, & quicquid ad eam pertinet.

III. **Q**uod docent, infantes non esse baptizandos, donec vnum rationis habeant, & fidem suam ipsi confiteri possint.

IV. **I**nstantes Christianorum ob eam causam (etiam sine Baptismo, & ante suscepsum Baptisma) sanctos, & filios Dei esse: quod parentibus Christianis prognati sint.

Vnde

Vnde & Baptismum infantum non magnificiunt, neq;
admodum vrgent. Id quod pugnat cum expressis ver-
bis promissionis: quæ ad eos tantum pertinet, qui sœ-
dus Dei obseruant, neq; illud contemnunt.

Non esse eam veram & Christianam Ecclesiam, in
qua peccatores reperiantur.

Non esse conciones sacras audiendas in ijs templis,
in quibus aliquando Missæ Pontificiæ sunt celebratæ.

Non habendum quicquam commercij cum Eccle-
seministris, qui & sanctum Christi Euangelion, iuxta
eum Augustanæ Confessionis sententiam docent, &
anabaptistarum errores refutant: neq; illis operam lo-
candam: quin potius, ut verbi Dei corruptores fugi-
endos atq; vitandos esse.

Magistratus officium non esse (in nouo Testamen-
to) genus vitæ, homine & pio Christiano dignum.

Hominem pium salua conscientia officio magistra-
tus fungi non posse.

Hominem Christianum illæsa conscientia officium
magistratus, re ita postulante, aduersus facinorosos fa-
cere & exequi non posse, nec quenquam subditorum
implorare opem magistratus debere.

Christianos sana conscientia in foro ciuili iuramen-
tum præstare, aut principi ac magistrati suo fidem sub
religione iurisjurandi astringere non posse.

Quod Magistratus fontes & morte dignos suppicio
capitis afficere, sine vulnere & labore cōsciētiæ nequeat.

Hominem Christianum salua sua conscientia pro-
prium tenere ac possidere non posse: sed oportere,
quicquid id est, in communem fiscum conferre.

Hominem pium sana conscientia non posse caupo-
niam aut mercaturam exercere, aut arma conficere.

Coniugibus propter religionis diueritatem, diuor-
tium facere, & matrimonium, cum alia persona, qua-
cum in religione conueniat, contrahere, licitum esse.

V.

VI.

VII.

VIII.

IX.

X.

XL.

XII.

XIII.

XIV.

XV.

Christum

XVI.

Christum carnem & sanguinem suum non est Maria
virgine assumisse: sed de cœlo attulisse.

XVII.

Christum non esse verum & essentiale Deum: sed
duntaxat alios homines multitudine & excellentia
donorum & gloriae superare.

Hos atq; similes fallos articulos Anabaptistæ pro-
fessentur. Et quidem in multis sectas sunt diuisi: & alijs
plures, alijs pauciores religionis errores amplectuntur.
Tota vero ipsorum secta nil nisi nouus quidam est Mo-
nachismus.

ERRORES SCHVVENCK- FELDIANORVM.

REJICIMUS atq; damnamus etiam Schvvenckfel-
dianorum errores, quibus docent:

I.

Quod omnes illi non habeant cœlestis regis
Christi iam regnantis veram agnitionem, qui sentiunt,
Christum secundum carnem seu Christi humanam na-
turam, esse creaturam. Quod caro Christi per exalta-
tionem omnes diuinæ proprietates ita acceperit, vt
iam Christus humanitatis suæ ratione, potentia, vir-
tute, Maiestate, gloria, Patri & æterno Verbo, prorsus
gradu, loco, & essentia sit æqualis: ita, vt sit eadem o-
mnino utriusq; naturæ in Christo E S S E N T I A, eadem
proprietates, una eadem q; voluntas, una gloria. Quod
denique caro Christi ad E S S E N T I A M sacrosanctæ
TRINITATIS pertineat.

II.

Quod ministerium Ecclesiasticum, hoc est, verbum
Dei prædicatum & auditum, non sit medium seu instru-
mentum, quo Deus Spiritus sanctus homines doceat,
& per quod ipsis donet veram Christi agnitionem, po-
nitentiam & fidem, & quo in ipsis nouam obedientiam
operetur.

III.

Quod aqua baptismi non sit medium aut instru-
mentum, quo Dominus adoptionem filiorum Dei ob-
signet, & homines regeneret.

Quod